

ergo hæc restitutio fieri secundum moralem æstimationem, attendendo ad conditionem occisi, an esset juvenis, an senex, an robustus, an infirmus, an simplex Artifex, aut Mercator; Jurisconsultus, Medicus, &c. an in arte, vel negotiatione peritus, aut imperitus, vigil, aut segnis; an non tantum consumebat, quantum lucrabatur; an non familie onerosus potius, quam utilis. Item attendendo, quod lucrum in spe non æquivaleret lucro in re. Debet itaque homicida secundum hanc moralem æstimationem restituere hæredibus necessariis quicquid ex occisione patitur detrimento, non solum in victu, & amictu, ut quidam volunt, sed etiam in statu conservando, vel augendo; ita quod si occisus esset Mercator valde industrius, aut Advocatus peritissimus, si officium admodum pingue possidebat, & in his, aut similibus ultra expensas familie lucrabatur, atque quotannis redditus suos augebat: Item, si familia, aut vidua amiserit licem, quam marito vivente, & agente lucrata fuisset: hæc, inquam, & similia, sive damna, sive lucra cessantia, moraliter prudentum judicio æstimata, refundenda sunt hæredibus necessariis ab homicida, quia illorum est causa injusta. Nec refert, quod occisus eis non deberet hæc omnia ex justitia. Quia, secundum plures, neque necessaria victui, & amictui ipsis debet ex justitia, sed tantam ex pietate, & tamen secundum omnes sunt illis restituenda; quia lædendo occisum, ipsos læsit in propriis, ut dictum est supra; quod verum est, non solum de alimentis, sed etiam de omnibus aliis sive lucris ex morte occisi ipsis cessantibus, sive de damnis inde illis emergentibus. Attamen expensæ funeris secundum communem sententiam contra Navarræ non sunt refundende, quia aliquando erant faciendæ, & ideo hæc non gravantur hæredes; nisi forte occasione mortis præmaturæ, puta quod in loco dissito occisus fuerit, majores essent faciendæ; quo casu homicida tenetur ad actuarium.

Dico 4. Facta sufficienti restitutione hæredibus necessariis, homicida nihil tenetur restituere creditoribus occisi, sed tenetur ipsi hæredes. Prob. 1. Creditor non habet jus in debitoris occisum, nisi in quantum se extendunt bona, quæ aut actu habet, aut verisimiliter habiturus erat: ergo, homicida restituente hæredibus bona, quæ verisimiliter habiturus erat, nihil restat restituendum creditori. 2. Actio occisi adversus homicidam transit immediate in suos hæredes, & non in creditorem: ergo homicida directè, & immediate obligatur hæredibus: ergo satisfaciunt suæ obligationi restituendo illis. Creditor autem ab eis repetere potest debitum, & in eos habet actionem; quod si ipsi non restituant, nihil in hoc influit homicida, proinde non est ipsi imputandum, sed hæredum iniquitati.

Verum, si contingat, quod non sint hæredes necessarij, quibus fiat restitutio, nec occisus relinquat bona sufficientia ad solutionem debitorum; quibus tamen, si viveret, satisfaceret vel ex censu vitalicio, vel ex officio, vel ex fideicommissio, quæ omnia cessant per ejus mortem; tunc tamen in hoc casu homicida restituere creditoribus? Conveniunt Auctores, quod, si homicida debitorum occidisset ea intentione, ut creditor suo debito frustraretur, teneretur ipsi restituere; quia tunc peccaret contra justitiam etiam respectu creditoris. Sed quid, seclusa hac intentione, quæ raro contingit? Homicidam etiam obnoxium esse restitutioni creditoribus faciendæ, affirmant Scotus, Molina, Martius, quos citat, & sequitur Henno, item Layman, Henr. a S. Ignat. & Sporer. Quia, qui per vim, & injustitiam impedit aliquem a consecutione boni, maximè ex justitia ipsi debiti, tenetur illi restituere, ut docuimus supra a. 12. de Restit. atque homicida per veram vim, & injustitiam impedit creditorem a consecutione boni ipsi debiti ex justitia: ergo. Propter hanc rationem hæc sententia probabilitate non caret. Negant tamen Soto, Bannes, Sylvius, Lessius, & alii. Primo, quia per accidens obvenit damnum creditoribus ex homicidio; non enim actio occisionis est ex natura sua vel ut plurimum ipsis damnosa, quia ut plurimum vel non sunt creditores, vel si sint, ipsis satisficit per restitutionem factam hæredibus, ut dictum est; vel occisus relinquit bona sufficientia, vel saltem cautionem, ad hæc etiam attendere solent creditores, dum contrahunt, quod si neglexerint creditor in casu, sibi imputare debet, & non homicida, qui tam procul prospicere non tenebatur ex justitia: ergo. 2. Homicida non violat justitiam respectu creditoris: ergo non tenetur illi restituere. Prob. Ant. Creditor non est ita conjunctus debitori, ut habeat jus justitiæ in quemcumque, ne ipsum debitorem occidat, & censeatur læsus in propriis, si lædatur debitor, ut dictum est de hæredibus necessariis: ergo. Prob. Ant. Creditor non est conjunctus debitori nisi per accidens, & modo

civili per contractum, quomodo innumerari possint ipsi conjungi; atque absurdum foret, quod omnes, qui cum debitore contraherent, haberent jus justitiæ in quemcumque; ne ipsum occidat, & censeatur læsus in propriis, si lædatur is, quocumque contraxerunt: ergo. Confirmatur. Jus voluntariè contrahentium non acquiritur in vicem, nisi ea conditione, ut maneat pendens a periculis vitæ, & bonorum utriusque contrahentis: ergo neuter habet jus justitiæ, ne alter a quocumque occidatur, aut spoliatur: nisi, ut dixi, id fiat ex intentione nocendi. Neque in foro exteriori, quod est custos justitiæ, datur actio creditoribus adversus homicidam; neque in foro interiori solet interrogari homicida de creditoribus, neque communi hominum judicio censeatur homicida creditoribus obligatus, neque talis obligatio videtur usu recepta, ut ex ipsis adversariis fatentur Layman, & Sporer: ergo.

Hæc autem rationes etiam militat de pauperibus, sive consanguineis, sive extraneis, quos occisus ex charitate alebat; & a fortiori, quia cum occisus non teneretur eos alere ex justitia, ac proinde ipsi non haberent jus strictum ad illas eleemosynas, per occisionem non est violata justitia erga illos.

Ad rationem autem in oppositum, quæ etiam pro istis pauperibus militat; respondetur, principium assumptum in majore esse intelligendum duntaxat de eo, qui per se, vel ex intentione impedit, vel eo modo vim adhibet, ut censeatur velle nocere; non verò de omni eo, qui quovis modo, vel sine alio impedit per vim: alioquin sequeretur in nostro casu, quod homicida teneretur restituere non solum creditoribus, & pauperibus, quos occisus ex charitate alebat, sed omnibus, quibus gratificari solebat imò omnibus, qui ab eo aliquid beneficium sperabant, quia hos omnes per veram vim impedit a consequendo bono conferri solito, vel sperato. Hoc autem videtur absurdum, & nemo admittit. Et ratio est; quia, licet habeamus jus strictum a natura, ne quis vim, vel fraudem adhibeat eo fine, ut nos impediatur a bono consequendo, vel eo modo, ut censeatur velle nobis nocere: non tamen habemus tale jus, ne vim, vel fraudem adhibeat alio fine, vel modo, puta, ut sibi prospiciat, vel alteri tertio noceat, quamvis inde contingat præter ejus intentionem, ut impediamur ab alicujus boni consecutione. Sic v. gr. jus strictum habeo, ne Cæius vim, vel fraudem adhibeat, ut me impediatur a consecutione beneficii, ita quod sic impediendo injuriam propriè dictam mihi faciat, teneaturque mihi restituere; at non habeo pariter jus, ne ex ira, vel odio occidat collatorem, a quo sperabant beneficium, undè non censeatur mihi facere injuriam propriè dictam, nec tenetur mihi restituere; si quæ apprehendit sensus communis hominum. Aliquid simile contingit in contractibus: metus injustè incussus ad extorquendum consensum irritat contractum; non irritat verò, si propter alium finem incutitur.

Repones: Intentio nihil mutat in opere externo; atque seclusa intentione mihi nocendi, opus externum non est mihi injustum secunquam nos: ergo nec ea posita erit mihi injustum, quod non admittimus: ergo. R. N. Cons. Ut enim opus externum, quod de se est injustum, mihi fiat injustum, quod antea non erat, non est necesse, quod mutetur in se, sed sufficit quod contra me dirigatur: quis 1. per hoc violatur jus, quod habeo, ne quis mihi per injustos modos nocere intendat. 2. Quia damnum, quod mihi inde sequitur, censeatur operanti voluntarium, quod non esset seclusa intentione mihi nocendi.

Objicies insuper specialiter pro creditoribus. Per homicidium impeditur jus creditorum, sicut jus hæredum necessariorum; atque homicida tenetur restituere hæredibus necessariis: ergo & creditoribus. R. N. Maj. Jus enim hæredum necessariorum læditur in propriis, ut dictum est; non jus creditorum. Insuper jus creditorum, ut etiam dixi, sic acquiritur ex libero contrahentium consensu, ut maneat pendens a periculis vitæ, & bonorum debitoris; non sic jus hæredum necessariorum, quod est in natura fundatum, debetque ideo esse tutum.

Inst. Debitor se habet ad instar hypothecæ; atque, qui destruit hypothecam, teneatur de damno: ergo. R. N. Maj. Debitor enim non obligatur secundum se, ut hypotheca, undè vendi non potest; sed ratione bonorum, quæ habet, aut habiturus est, quæ si non sufficienter solvendi debitis, imputet sibi debitor, qui non curavit cautionem.

§. III. Utrum omnis homicida, vel mutilator injustus teneatur ad præstatas restitutiones?

R. Esp. negativè; sunt enim quidam casus excepti. 1. Non tenetur, si læsus ante mortem remittat omnia damna. Ita communis cum Soto, Banne, Lessio, & aliis. Ratio est; quia hæredibus hæc damna non debent restitui, nisi, vel quia succedunt juri occisi, quod spectat damna antecedentia mortem, cui juri dum ipse adhuc vivens cedit, nullum remanet hæredibus: vel quia, ut dictum est, hæredes censeantur læsi in persona occisi tamquam in parte sui, quod spectat damna sequentia mortem; atque hoc ipso quo occisus remittit injuriam & damna, non censeatur amplius læsus, proindeque nec ipsius hæredes censeantur amplius læsi: ergo nullum eis remanet jus ad damna.

Dices: Pater tenetur ex Justitia alere familiam, si indigeret: ergo saltem in hoc casu ejus remissio, vel condonatio erit invalida. R. 1. multos negare antecessens; voluntate, parentem teneri solum ex pietate alere familiam, dum indiget. R. 2. Dato antec. N. Conseq. Quia obligatio alendi familiam non afficit hoc, vel illud bonum in particulari, nec ullius dominium auferat a patre. Undè, si pater prodigè dissipet bona sua, validè dissipat, licet illicitè, nec tenetur filiis restituere, remanente tamen semper obligatione providendi. In nostro ergo casu remissio foret illicita, sed valida.

Dixi: Si læsus remittat omnia damna; quia non sufficit, quod mortuus dicat se condonare inimico, aut quod reconciliationem ipsi exhibeat: hæc enim intelliguntur de offensa tantum & de injuria; non verò de damnis realibus, nisi exprimentur.

2. Qui rogantem, aut consentientem lædit, vel occidit, ad nullam restitutionem est obnoxius; quia scienti & volenti non fit injuria. 3. Quia provocatus lædit, ut occidit provocantem, nihil etiam tenetur restituere; quia provocans censeatur cedere juri suo. Nec refert, quod intendat occidere, & non occidi; hoc ipso enim quod provocat alterum, concedit illi facultatem agendi contra ipsum totum quod potest. Similiter, si dup se mutuo provocent, & libero consensu descendant in arenam, neuter tenetur alteri restituere; quia uterque censeatur remittisse juri suo.

Restat difficultas de injustè invaso ad mortem, qui occidit invadentem. Equidem constat, quod, si servet moderatam inculpate tutelæ, ad nihil tenetur, quia non est injusta occisio. Si autem non servet moderatam, communit Sententia docet, quod tenetur; quia tunc est injusta occisio. Quidam, ut Soto, Sylvester, & alii existimant non teneri ad totum damnum, sed ad partem tantum secundum proportionem excessus; quia sic invasus longè minus peccat, quam qui spontè invadit. Mihi autem videtur valde probabilè, quod ad nihil tenetur; quia, ut dictum est, provocatus ad nihil tenetur, quia provocans censeatur remittere; atque invadens censendus est etiam remittere: hoc ipso enim quod invadit, sciens & volens se exponit periculo mortis & damnorum, cum probè sciat invasum nihil non tentaturum adversus ipsum, & ipsi esse difficillimum servare moderatam: scienti autem & volenti non fit injuria: ita necum sentiunt Ethica am. Sporer, & alii.

APPENDIX I.

De Obligatione restituendi ex homicidio spirituali, seu læsione in spiritualibus.

B. Onum spirituale hic somitur per eo, quod conducit ad salutem; vel immediate, ut gratia & virtus, quæ amittuntur per peccatum; vel mediate, ut status Religionis.

§. I. De obligatione restituendi ex inductione ad peccatum.

Dico 1. Qui solis suasionibus, precibus, aut exemplo absque vi, vel fraude induxit aliquem ad peccatum, quod non est contra Justitiam, non tenetur ex Justitia ad restitutionem. Quia sic inductus sciens & volens peccat; scienti autem & volenti non fit injuria. Ita communiter contra paucos antiquos. Quidam excipiunt Superiorem; sed non videtur magis obligatus ex hoc capite, quam particularis; cum tali inductione non fiat injuriam subdito, qui, ut suppono, sciens & volens peccat, ac si non esset subditus. Tenetur tamen aliunde, nimirum ex officio, proindeque ex Justitia, procurare salutem subditi. Dixi 1. Ad peccatum, quod non est contra Justitiam: quia, si inducas aliquem ad peccandum contra Justitiam, Theol. Billuart. Secunda Secunda.

titiam, puta, ad furandum, quamvis ipsi restituere non tenearis, teneris tamen restituere illi, a quo furatus es, quia ille est invitatus. Patet ex dictis de Restit. in genere. Dixi 2. Non tenetur ex Justitia: indubium est enim, ipsum tenere ex charitate & præcepto correptionis fratris, præsertim si induxit illum, qui non erat prater peccare. An teneatur sub mortali, dicam infra.

Dices 1. Gravius peccat, qui inducit alium ad peccandum, quam qui autem ab ipso bonum temporale; atque iste tenetur ad restit. ergo & ille. R. N. Conseq. quia obligatio restituendi non oritur ex gravitate peccati; sed ex violatione Justitiæ: in 2. autem casu violatur, quia ab invito bonum temporale auferitur; secus in 1.

Respons: Si, qui inducit alium ad peccatum, non violaret Justitiam, ideo esset, quia inductus voluntariè consentit; atque hæc ratio nulla est: ergo. Prob. min. 1. Qui solvit usuras, voluntariè solvit; atque tamen usurarius violat Justitiam & tenetur restituere. 2. Qui vi, vel fraude inducitur ad peccatum, voluntariè consentit, alioquin non peccaret; atque tamen sic inducens violat Justitiam, & tenetur restituere, ut dicemus modo. 3. Qui volentem occidit, peccat contra Justitiam & tenetur restituere: ergo. R. N. min. ad 1. probat. D. Qui solvit usuras, solvit voluntariè simpliciter & involuntariè secundum quid, C. voluntariè omnino, N. Nollet enim solvere, si aliter suæ necessitati succurrere posset. Ad 2. similiter D. inductus vi, vel fraude ad peccatum consentit voluntariè simpliciter & involuntariè secundum quid, C. omnino voluntariè, N. si enim vis, aut fraus, quo læditur ejus libertas, abesset, non consentiret, ut supponitur; qui autem sine vi, vel fraude consentit, in nullo læditur, & omnino voluntariè consentit. Ad 3. qui volentem occidit, non violat Justitiam respectu illius, sed tantum respectu Dei & Reipublicæ, quibus solis proinde restituere tenetur, non consentienti.

Dices 2. Exod. 32. legitur: Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem: ergo inducent ad peccatum sine vi, vel fraude incumbit obligatio restituendi. R. id præcepti, non in restitutionem, sed in poenam delicti; vel ibi agi de seductione fraudulenta.

Dico 2. Qui vi, metu, vel fraude induxit aliquem in peccatum, tenetur ex Justitia amovere vim, aut fraudem & ipsum pristinæ libertati restituere. Non tenetur tamen ex Justitia ipsum revocare ad penitentiam, sed ex charitate tantum, quæ equidem strictius eam obligat, quam si non induxisset. Prob. 1. pars, quæ est communis. Unicumque a natura jus strictum inditum est, ne quis eum circumveniat vi, vel fraude, quia vis & fraus inducunt aliquid involuntariè, proindeque lædunt libertatem naturalem hominis: ergo, qui inducit aliquem ad peccandum vi, vel fraude, violat jus illius, consequenter tenetur ad restitutionem, nimirum restituendo illum libertati, quam læsit. Undè inferes, eos, qui suaserunt aliquid tamquam licitum, quod est illicitum, puta contractum ut justum, cum sit usurarius; susurriones, qui falsis relationibus discordias inter amicos disseminarunt; hæresiarchas, aut alios, qui falsam doctrinam in materia fidei, vel morum tradiderunt; teneri ex Justitia sic deceptis falsitatem detegere, & veritatem adperire. Quod etiam verum est, quamvis ex ignorantia invincibili falsum suaserint; quia licet pro tunc non peccaverint, & damnum spirituale causatum non fuerit ipsis voluntariè; fieret tamen nunc voluntariè, si advertentes causam damni a se positam, eam non revocarent: sicut, si quis inadvertenter ignem in messem injecisset, impuraretur illi damnum, si dum advertit ignem serpenteum, non exstingueret, si potest.

Dices: qui vi, vel fraude inducit aliquem ad peccatum, non est causa sufficiens ejus peccati juxta illud S. Th. 1. 3. q. 73. a. 8. ad 3. Spiritus mortis nullus potest esse alteri causa per se sufficiens; quia nullus spiritualiter moritur nisi propria voluntate peccando: ergo. R. Ut quis subiacet oneri restitutionis, non est necesse, quod sit per se causa sufficiens & adæquata damni; sed sufficit, quod efficaciter concurrat ad illud, ut patet in duobus asportantibus furtum, cui asportando unus non sufficeret; qui autem vi, vel fraude inducit aliquem ad peccatum efficaciter & modo injusto concurrat ad illud, in quantum est causa, cur alter aliquo modo invitatus consentiat in peccatum.

Prob. 2. pars conclusionis, quæ est Soto, Sylvestri, Sylvi, & aliorum. Quando vis, aut fraus est sublata, cessat injuria, & inductus suæ libertati restitutus potest per Dei gratiam a peccato resurgere: ergo, si non resurgat, imputandum est soli ejus voluntati, ac malitiæ, non

non alterius injuriæ, quæ amplius non est. Confirmatur: Qui suæ libertati restitutus videt se posse resurgere, & tamèn non vult, censetur condonare damnum sibi illatum ex præcedente inductione, & restitutionem remittere: sicut, si res tua furto ablata esset in conspectu tuo reposita, ita ut facile eam posses recuperare, & tamèn nolles, censeres eam habere pro derelicta, & restitutionem condonare; atqui nemo tenetur ex justitia restituere illi, qui condonat damnum: ergo. Si tamèn contingeret, quod vi, vel fraude tua inductus ad peccatum contraxisset tenacem peccandi habitudinem & gravem resurgendi difficultatem; arbitror, quòd in hoc casu teneris ex justitia conari secundum posse & mediis mòx indicandis juvare, ut vincat hanc difficultatem, & verè poenitens ad gratiam redeat; quia fuisisti injusta causa hujus impedimenti, quod non auferatur ablata, vi, vel fraude.

Tertia pars conclusionis constat; quia æquitas naturalis exigit, ut, qui auctor est mali, adlaboret præ cæteris, ut emendetur: ergo saltèm ex lege charitatis specialitèr tenetur, qui alium induxit ad peccatum, ipsum revocare ad poenitentiam. Id autèm præstare debet consiliis, adhortationibus, suasionibus in quantum potest efficacibus, & fuis ad Deum precibus per se, vel per alios, aliisque mediis, prout prudentia suggeret. Utrum verò hæc obligatio charitatis sit sub peccato mortali, non putat Lessius post Navarrum; quia, inquit, charitatis non obligat sub mortali ad correptionem, nisi in necessitate, quando & alii obligantur: ergo, esto præ cæteris, non tamèn sub mortali obligatur.

§. II. De obligatione restituendi propter avocationem a Religione.

Suppono 1. eum nec peccare, nec ad ullam restitutionem teneri, qui justa de causa evocat candidatum, aut novitium a Religione, ut si Religioni esset ineptus; si ejus ope indigeant parentes, aut Respublica; si majora bona præstaret in seculo, quam in Monasterio; si in eo non vigeat disciplina regularis, &c. Quia nemini facit injuriam, quin potius bonum opus præstat. Suppono 2. eos gravitèr peccare, & Anathemati subjici, qui sanctarum virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti omittendi quoque modo sine justa causa impediunt. Ita Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 18. Similitèr S. Synodus ibid. Anathematè subjicit eos, qui quocumque modo coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem in vitam, præterquam in casibus in Jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem, quique auxilium, vel favorem dederint; quique, scientes eam non spontè ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel presentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.

Circa quòd Decretum observant Theologi 1. in eo agi de coactione, vel avocatione mulierum tantum, & non virorum; quia, quamvis quæ dicuntur de viris in Jure, sæpè extendantur ad mulieres, ut in Canone Si quis suadente diabolo, eò quòd nomen masculinum ex usu ad utrumque genus extendatur; secus tamèn propter oppositam rationem, quando est sermo de mulieribus in particulari. 2. Videtur eo Decreto sub excommunicatione prohiberi, ne cogatur aliqua mulier ad simplicem ingressum Monasterii etiam ut ibi vivat in habitu seculari; quia Concilium distinctè tria membra numerat, scilicet ingrediendi, suscipiendi habitum, & proficiendi; ita ut clausula, exceptis casibus in Jure expressis, videatur addita pro primo membro; quia secundùm Jura mulieres possunt in poenam, vel ad cautelam cogi ad Monasterium ingrediendum, nunquam verò ad suscipiendum habitum, vel professionem emittendam. His suppositis,

Dico 1. Qui solis precibus, suasionibus, sive vi, vel fraude, avocat a Religione volentem ingredi, vel profiteri, ad nullam tenetur restitutionem, quia nemini facit injuriam: non candidato, seu novitio, quia sciens & volens deserit Religionis propositum; scienti autèm & violenti non fit injuria: non Religioni, quia Religio antè professionem non habet jus strictum ad candidatum, seu novitium, etiamsi voto simplici ad eam proficiendam esset adstrictus. Qui verò vi, vel fraude prædictum avocat, tenetur & illi & Religioni restituere, quia utrique facit injuriam. 1. Ipsi candidato, seu novitio, quatenus eum decipit, aut cogit invitum; quapropter debet removere fraudem, vel metum, eumque suæ libertati restituere. 2. Religioni; quia

Religio habet jus strictum, ne per vim, aut fraudem, aliosve similes modos injustos quibus impediatur ab ejus ingressu vel professione; & idèo evocans tenetur restituere Monasterio damna, aut lucra cessantia, quæ ex tali avocatione patitur; non quidem secundùm æstimationem totius boni separati, sed secundùm æstimationem spei, attentis omnibus secundùm arbitrium viri prudentis v. gr. firmitate, vel inconstantia voluntatis in novitio, ejus industria, genio, aliisve talentis, futura hereditate ex familia, & similibus.

Petes, utrum, sublata vi, vel fraude, si avocatus non vult redire ad Monasterium; aut si Monasterium non vult amplius eum recipere, avocans tenetur adhuc ad aliquam restitutionem? R. Si Monasterium nolit amplius avocatum admittere propter avocationem, quia nempe Monasterium abdicavit, avocans tenetur restituere meliori quo poterit modo avocato omnia damna, sive spiritualia, sive temporalia, quæ inde incurrunt, quia fuit illorum causa injusta. Si verò Monasterium propter aliam rationem avocationi impeditentem nolit amplius avocatum admittere, non tenetur avocans de damno, quia non est illius causa. Similitèr, si, subsistente vi, vel fraude, avocatus contraxit impedimentum insuperabile, puta Matrimonium, tenetur utrique avocato & Religioni damna reparare, quia fuit illorum causa. Item, si ratione fraudis, aut vis illata avocatus mutaverit animum, tenetur de damno saltèm avocato Monasterium, quia illius fuit causa; secus, si ex alia causa mutaverit animum. Hæc usque de avocatione illius, qui nondùm Religionem professus est: jam de avocatione professi.

Dico 2. Qui vi, vel fraude abducit professum a Religione, tenetur & illi & Religioni restituere: patet ex dictis pro 2. parte conclusionis præced. & quidam a fortiori, cum Religio habeat post professionem jus in suum Religiosum. Tenetur ergo abducens restituere abducto pristinam libertatem, remota vi, vel fraude; Religioni autèm tenetur restituere damna, si quæ patitur ex absentia sui Religiosi. Quòd si ablata vi, vel fraude Religiosus non redeat, abducens non videtur amplius teneri ad damna sequentia; quia non ipse est illorum causa, sed Religiosus, qui non vult redire.

Dico 3. Qui verò absque vi, vel fraude abducit professum a Religione, non tenetur illi restituere, quia scienti & volenti non fit injuria: neque probabilius ipsi Religioni, saltèm quoad damna realia. Hæc 2. pars, quæ controversatur, est Bannes, Salom, Pesantii, Petri Navarr. quos citant, & sequuntur Sylvius & Lessius, contra plures alios. Prob. Qui cooperatur alterius peccato, quod non est contra Justitiam, non tenetur ad restitutionem, si aliudè nihil injustitiæ imisceatur in ejus cooperatione; atqui, quòd professus non operetur in utilitatem Monasterii, non peccat contra Justitiam; & aliudè abducens, seu dissuadens laborare nullam aliam injustitiam committit, cum absit vis, aut dolus: ergo. Major videtur evidens, si enim agens principalis & immediatus non peccat contra justitiam, qua ratione agens minus principalis & immediatus, qualis est consulens, peccaret contra justitiam? Minor est etiam communis, & admittitur ab adversariis; quia Religiosus vi voti tantum & Religionis, aut etiam ad summum vi justitiæ legalis, non tamèn ex justitia commutativa, tenetur laborare in utilitatem Conventus: non enim Religio possidet professionem sicut dominus mancipium in bonum suum temporale, sed ut Pater, aut mater filium in ipsis bonum spirituale. Undè, sicut non laborans in domo patris non tenetur ad restitutionem, ita & professus non laborans in Monasterio a nemine obligatur ad restitutionem. Ut itaque tollatur æquivocatio, concedimus, quòd Religio habeat jus strictum in operas sui Religiosi factas; quia, quicquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit, ita ut si abducens consulat eas auferri, tenetur ad restitutionem; at verò non habet jus strictum, ut fiant. Sic Pater habet jus strictum in bona filii profectitia, cum sunt de facto acquisita, non tamèn habet jus strictum, ut filius hæc acquirit, sic ut tenetur filius restituere, si non acquirit. Ex his solvantur præcipue objectiones.

Dices tamèn insuper cum Francisco Henno. Dato quòd Religiosus non tenetur ex Justitia laborare pro utilitate Monasterii, Religio tamèn habet jus strictum ad lucrum in spe, seu futurum, est enim pretio æstimabile, & a Religione vendibile; atqui isto stricto jure ad lucrum in spe eam privat, qui professum abducit, etiam sine vi, vel fraude: ergo violat justitiam, & tenetur ad restitutionem. R. 1. Retorquendo argumentum. Pauper habet jus strictum ad eleemosynam in spe habendam ab eo, a quo solet accipere, aut qui decreverat illi dare, est enim jus illud pretio æstimabile & a paupere vendibile; atqui is-

to jure eleemosynam in spe pauperum privat, qui eleemosynæ collatori absque vi, vel fraude consulit, ut non det eleemosynam, vel ut det alteri: ergo talis consulens violat Justitiam, & tenetur ad restitutionem; quòd tamèn negat Theologus Franciscanus questione immediatè sequenti. Idem dic de illo, qui suadet parentibus, ut quòd uni ex Testamento reliquerant, alteri relinquunt; aut consulti collatori, ut det beneficium alteri, quam illi cui dare decreverat, & plus aliis similibus. 2. Ipse Religiosus spontè abductus, aut nolens operari, principalis, & immediatus privat Religionem isto jure ad lucrum, quam simpliciter consulens: ergo tenetur ad restitutionem, quòd non admittit sententia opposita. Quòd si iste non tenetur, a fortiori non tenetur, qui simpliciter consulit fugam, aut otium, cum non tenetur nisi ex defectu principalis agentis.

Dicendum itaque in his, & similibus casibus, quòd, cum jus ad lucrum in spe sit fundatum in voluntate libera operantis, vel donantis, neque sit æstimabile nisi dependentè ab alio, qui operari, aut dare non vult, nullius jus violat, nec consequenter, & a fortiori ille, qui simpliciter suadet, ut pro sua libera voluntate non operetur, aut donec. Undè sic debet distingui argumentum: Religio habet jus ad lucrum in spe dependentè a voluntate sui Religiosi C. Maj. independentè D. Maj. similitèr ad minorem; atqui qui, consulit fugam, privat isto jure Religionem per voluntatem liberam illius, a quo dependet, C. Min. contra ejus voluntatem, N. Min. & consequ.

Dixi Saltèm quoad damna realia: quia fortè posset concedi, quòd ipsa persona Religiosi sit bonum proprium Monasterii, in quod habet jus strictum ex contractu professionis: unde, qui eum etiam absque vi, vel fraude abducit, videtur ex hac parte violare justitiam, & teneri restituere: restituit autèm, conando Apostatam reducere ad Monasterium, vel alium bonè idoneum disponendo, & hortando ad ejus ingressum. Cæterum neque in hoc casu, neque in ullo alio, sive vis, vel fraus fuerit adhibita in abductione, sive non, tenetur ipse abducens se Religioni mancipare, ut opinati sunt quidam antiqui: quia status Religionis tria vota complectens est summæ perfectionis, & debet esse libertatis electionis. Aliudè nemo ad eam admitti debet, nisi sit idoneus, & a Deo vocatus. Ex hoc autèm, quòd quis alium avocaverit a Religione, non sequitur, quòd ad eam sit idoneus, & a Deo vocatus.

Quantum ad alia bona spiritualia, sed naturalia, ut sunt potentie anime, scientiæ, & artes, satis patet, quòd qui alteri in istis injustè nocet, tenetur restituere. Undè qui aliquem phylitro, vel veneno privavit usu rationis, vel memoriæ, tenetur restituere, non solum pro damnis realibus inde ortis, sed etiam pro damno personali, ut diximus de homicidio. Item, qui ratione stipendii, vel officii etiam gratis assumpti tenetur docere aliquam scientiam, vel artem, ut sunt professores scientiarum humanarum, Repetitores, Artifices, Magistri &c. si malè, vel negligenter doceant, tenentur resarcire damna inde provenientia. Quòd si ex sola benevolentia, vel charitate doceant, non tenentur ex negligentia (nisi fortè sint impedimento, ne candidati uberiori alibi discant); tenentur tamèn, si falsa pro veris scienter doceant, aut etiam cum animadvertunt se ex ignorantia malè docuisse.

APENDIX II.

De Obligatione restituendi ex stupro, vel fornicatione.

Stuprum est defloratio virginis. Fornicatio est congressus soluti cum soluta corrupta. De malitia utriusque dicimus, dum de temperantia. Sed quia hæc injuria, sicut & injuria adulteri quomodò corpus spectat, nunc quarimus de obligatione restituendi ex illa contracta.

Dico 1. Qui puellam, sive virginem, sive reputatam talem, aut viduam honestam libere consentientem cognovit, in foro conscientie nihil tenetur illi restituere; quia scienti, & volenti non fit injuria: neque parentibus, si res maneat occulta, non enim tenetur pandere suum crimen: quòd si iis innotescat, propter dolorem inde conceptum & injuriam irrogatam (habent enim parentes custodiam virginis filie suæ) tenetur illis satisfacere per veniæ petitionem, aut quid simile. Si tandem palam innotescat, & inde infametur familia, tenetur meliori quo potest modo, famam familiæ restituere. Quidam addunt, ipsum quoque teneri parentibus de augmento dotis, quo puella possit conveniens matrimonium inire, saltèm si parentes exigant: quia, inquit, non sola filia habet jus, ut honeste-

tè nubat; sed etiam id jus parentibus competit. Undè, licet puella consentiens cesserit juri suo, non potuit tamèn cedere juri parentum. Hæc Sententia est probabilis. Equè tamèn ad minus est probabile, stupratorem ad id non teneri; quia parentibus hoc jus non competit, nisi dependentè a jure, & voluntate libera filie, quæ, si velit, potest manere inupta, aut etiam sibi inferiori nubere; unde cum hæc juri suo cesserit, jus parentum evanescit. Dixi in foro conscientie; quia in foro externo corruptor puellæ etiam consentientis condemnabitur vel ad dotem, vel ad multam, Læge sic statuente pro bono communi ad impedendas corruptiones puellarum, quæ natura sua sunt facile seducibiles.

Dico 2. Qui puellam, sive virginem, sive reputatam talem, aut honestam viduam invitam cognoverit, tenetur ad omnia damna inde sequentia; quia est injusta illorum causa. Censetur invita puella, quando vis inferitur, aut dolus, autem inferitur 1. quando vera, & reali violentia opprimitur. 2. Quando ad copulam adigitur metu gravi v. gr. mortis, infamie, atrocium verberum, vel alterius gravis damni, a corruptore incusso; vel etiam metu reverentiali, ut si corruptor sit superior, tutor, vir magnæ auctoritatis, cui puella nihil audeat recusare. Quidam addunt importunas preces; sed verius videtur, quòd preces importunæ solæ sine minis, aut metu reverentiali, vel nisi eas committentur amplexus, oscula, tactus, quibus excitata puella, prius invita, tandem consentit, non debeant reputari pro vi. Preces enim sine præfatis adminiculis, quantumvis importunas, ingenua mulier non ita difficile excutere potest, concepta ira, qualem decet in simili casu. Censetur autèm fraude & dolo seducta puella, quando corruptor promittit, se solis tactibus hæsurum; quando fictè promittit matrimonium, magnam dotem, magnam remunerationem; quando se fingit divitem, nobilem, &c. qui enim fingit aliquid, ob quòd alter consentit, & sine quo non consentisset, facit ei injuriam, consequenter tenetur de damno, promissa adimplendo, vel si non potest, damna inde secuta compensando.

Damna, quæ ex copula invita sequi nata sunt. 1. Sunt violatio claustris virginialis, si sit virgo; quòd damnum non solet pecunia resarciri, quia hoc indecorum est ac probrosum, sed veniæ petitione, vel aliqua simili satisfactione; si tamèn puella, aut parentes pecuniam idèo exigent, videtur ad eam in rigore teneri corruptor secundùm arbitrium viri prudentis. Patet ex dictis de Restit. damni personalis ex homicidio. 2. Diffamatio puellæ, & inhonoratio familiæ, quam violator omni modo possibili reparare tenetur. Porro hoc damnum reparare debet, vel eam ducendo, vel sic dotando, ut æquè honestè possit nubere, ac si non fuisset violata. Quòd si aliter non possit reparari, quam per matrimonium, tenetur determinatè eam ducere, modò ipsa, & parentes consentiant; alioquin debet dotare. Si autèm ipsa vel parentes vellent determinatè matrimonium, cum damnum pecunia reparari possit, non tenetur, nisi promiserit; quia tenetur tantum ad damni reparationem. Idem cense per omnia, si puella, licet non esset corrupta, adeò tamèn patentibus, & instantibus sollicitationibus fuit vexata, ut habeatur pro corrupta, aut saltèm ex hoc sit diffamata. Quòd si damnum non sequatur, quia vel crimen mansit occultum, vel puella per accidens æquè bonè nupsit, ac si non fuisset deflorata, ad nihil tenetur ex hac parte deflorator. Si tamèn inito matrimonio maritus, quam putabat virginem, deprehendat non esse, & idèo in illam sæviat, aut eam expellat, ad hæc damna tenetur stuprator. Itèm, si puella antequam honestè nubat, aliquid acceperit a stupratore, potest retinere, aut si inter eam, & stupratorem fuerit de aliqua summa conventum, tenetur stuprator stare conventioni; quia in utroque casu puella suscipit in se omne periculum, quòd est pretio æstimabile.

Dico 3. (In 4. d. 28. q. 1. a. 2. ad 4.) Qui sub promissione matrimonii vera vel ficta extorsit copulam a puella, tenetur regularitèr illam ducere. Ita cum S. Th. consensus unanimes omnium Theologorum, & Jurisconsultorum, imò omnium tribunalium. Ratio est; quia, si promissio sit vera, purificata conditione transit in absolutam, & promittentem obligat, ut fuis explicabitur de contractibus: si sit ficta, promittens decipit puellam cum suo damno: ergo tenetur tollere deceptionem adimplendo promissa. Adde, quòd aliquot fraudis promittenti patrocinaretur, quòd non debet admitti. Neque potest ordinari in hoc casu uti privilegio primi bimestris ad ingrediendam Religionem; quia promissio facta in his circumstantiis intel-

ligitur de matrimonio consummato: cum per matrimonium ratum tantum vix unquam possint compensari omnia damna puellae; si tamen sic coningeret, videtur, quod tunc posset uti dicto privilegio. Dixi: *tenetur regulariter illam ducere*; quia variis sunt casus, in quibus non tenetur ducere, licet in quibusdam teneatur aliunde damnum compensare: & sunt ferè idem casus, in quibus licet dirimere sponsalia.

1. Itaque non tenetur, si puella postea cum alio fornicetur; quia frangenti fidem fides frangatur eidem, ut fert adagium commune. 2. Si ipsa stupratorem deceperit, dicendo se virginem, aut divitem, cum nec virgo sit, nec dives; quia tunc fit fraudis compensatio. Et in hoc utroque casu stuprator non tenetur ad aliam compensationem. Idem censet Sylvius, si stuprator, proprio errore deceptus putavit virginem; quia talis defectus sufficit ad dirimendam sponsalia, tenetur tamen in hoc casu ad compensationem damni. 3. Non tenetur, si puella voluntarie se decepit, aut potius decipi se finxit, cum potuerit intelligere promissionem esse fictam, ut si ex verbis ambiguis aliusve signis; aut ex conditione stupratoris longè superexcedente suam, facile potuit advertere illum non promittere ex animo; nec in hoc casu tenetur ad aliam compensationem. Quod si hunc excessum ignoraverit, cum tunc fuerit decepta, videtur stupratorem, etsi fictè promiserit, teneri ad compensationem damni, non tamen ad Matrimonium, quia puella non concessit ei usum sui corporis sub ratione tantae dignitatis, unde si tantum Matrimonium exigeret pro copula, haberet plusquam debet habere. Item, si puella sciverit hunc excessum, sed stuprator sincerè promisit, tenetur ad Matrimonium vi promissionis; quia sciens promittendo cessit juri suo, & renuntiavit excessui. Ita Sylv. Ethica am. post plures alios contra Serram.

4. Non tenetur, si superveniat impedimentum dirimens indispensabile, ut si stuprator cum alia Matrimonium inerat, aut Religionem profiteatur; in quo casu debet aliunde puellae satisfacere. Si autem superveniat impedimentum dispensabile, ut affinitas contracta ex alia copula cum sorore, aut consanguinea puellae, tenetur petere dispensationem: quia debitor adhibere debet media, saltè ordinaria, ad solutionem debiti. Similiter, si tale impedimentum praecesserit, & ignoraverit puella; aut etiam si sciverit, sed promissio sit facta sub conditione dispensationis obtinendae. 5. Non tenetur, si ex tali Matrimonio rationabiliter timeantur gravia mala, & scandala, rixae, discordiae, homicidia, &c. Quia, sicut haec ratio sufficit ad dissolvendam sponsalia, ita ad solvendam promissionem in nostro casu; debet tamen tunc fieri compensatio damnorum. 6. Non tenetur, si puella, aut ejus parentes renuant Matrimonium; quo casu ad nihil aliud tenetur, quia, ut suppono, nihil aliud promisit.

Septimum casum assignant Nav. Sylvius, & alii, quos ex recentioribus sequuntur Stayaert in Aphorismis de sponsalibus, & Duellman: scilicet, si stuprator prius erat adstrictus voto simplici continentiae, aut Religionis ingredientis. Tunc enim, inquit, stuprator tenetur satisfacere voto, quamvis puella istud ignoraverit; cujus quidem, ait Sylvius, potest petere dispensationem, sed non tenetur. Ratio est 1. quia promissio Deo facta fortior est promissione homini facta. 2. Quia per prius votum jus est Deo acquisitum, cui cedere non debet propter promissionem factam, undè talis promissio est de re illicita, ideoque nulla. Debet tamen stuprator aliunde compensare damna. Haec Sententia est probabilis. Etiam probabilis est Sententia opposita Lessi, Wiggers, quos sequitur Ethica am. Si nempe puella votum ignoraverit; quia obligatio contractus onerosi fundata in jure tertiae personae, ex cujus inobservatione resultaret illi gravis injuria, strictior est quam obligatio contractus gratuiti, sive voti simplici, fundata in gratuita voluntate voventis, sic v. gr. qui volisset dare Ecclesiae mille florenos, & postea contrahit ex furto, aut emptione debitum mille florenorum; si non possit utriusque satisfacere, omnium consensu tenetur potius satisfacere debito, quam voto. Inter has opiniones utrimque probabiles medius existimo, quod si damnum puellae sit aliunde reparabile, quam per Matrimonium, votum teneat, & id probant rationes 1. Sententiae. Si non sit reparabile nisi per Matrimonium, promissio tenet, si non vi promissionis, saltè ratione damni reparandi, & id probat ratio posterioris Sententiae. Et in hoc casu juxta aliquos non videtur necessaria dispensatio, quia votum pro tunc est de re illicita. Tutius est tamen obtinere, tum quia haec Sententia non est certa, tum quia dispensatio stuprator non possit petere debitum, sed tantum reddere.

Petes. Si nata sit proles ex fornicatione, ad quid teneatur fornicator? R. Si liberè consentientem cognoverit, Mater teneatur alere prolem primo triennio, deinde pater quousque proles sibi possit providere. Si quod nunc est praestare nequeat Mater, aut si invitam violaverit, corruptor tenetur providere proli a partu. Ita in Jure, & communiter. In foro autem externo praesumitur puellam, quae habetur honesta, fuisse invitam, nisi contrarium probetur. Quod si prolem exposuerint, & translata sit ad Xenodochium, juxta communioem Sententiam Xenodochio restituere, si non sint pauperes; quia Xenodochia in favorem pauperum dumtaxat sunt erecta, nisi aliud constet. Pontas v. Restit. c. 159. post S. Ant. Navarr. &c.

APPENDIX III.

De obligatione restituendi ex adulterio.

Adulterium est violatio thori alieni: de ejus malitia dicam, dum de Temperantia. Nunc de damno, quod per illud causetur, & ejus restitutione.

Dico 1. Si adulterio non sequatur proles, nihil restituendum incumbit adultero, & adulterae pro damno reali, quia nullum est. Si innotescat Marito, debet ab utroque illi fieri satisfactio pro injuria personali per venia petitionem, humilitationem, signa doloris, vel per alium aliquem modum, quo animi ejus exacerbatio pacificetur, & dolor mitigetur. Unde si non resciat, non erit locus huic satisfactioni. Pecuniariam autem satisfactionem pro hac injuria prohibent Leges civiles propter praesumptionem & speciem lenocinii, L. Transigere, C. de Transact. & alibi. Et hinc quidam inferunt, quod si maritus accipiat pecuniam tamquam pretium pro injuria, tenetur restituere, licet alii intelligant has leges pro foro externo tantum. Ceterum, si acciperet ex mera liberalitate, ut facilius ejus dolum finiret, & citius injuria oblivisceretur, videtur tunc, quod posset retinere. Si tandem adulterium aliis innotescat, pro infamia, dedecore, quod inde marito obvenit, certo heri debet restitutio, quantum possibilis est, sed vix est possibilis.

Dico 2. Si proles sequatur ex adulterio, & ad illud adulter & adultera communi consensu convenierint, uterque tenetur ad restitutionem damnorum inde sequentium pro rata: uno deficiente, alter tenetur in solidum; quia uterque est illorum causa. Secundum dispositionem Juris, ut jam dixi in Appendice praeced. adultera tenetur ad educationem prolis pro primo triennio. Hoc completo tenetur adulter usque quo proles possit sibi providere. Si adulter adulteram provocavit, & induxit, aut e contra, censet Sylvius provocantem teneri prius in solidum ad omnia damna, quia est causa principalis, & inducendo censetur in se suscepisse damna. Illo tamen deficiente, tenetur in solidum adultera, quia fuit voluntarie cooperata ad damnificationem.

Principale damnum, quod hic spectatur, est, quando proles supponitur marito, ut fit ordinariè; tunc enim proles educatur expensis Patris putativi, dotatur ut proles legitima, & in hereditatem familiae cum aliis legitimis. Porro constat, quod si utriusque adulteri, & adulterae consensu, & fraude supponatur, utriusque incumbit haec damna resarcire conformiter ad conclusionem. Verum, si supponatur, non consentiente, imò dissuadente, & renitente adultero, distinguendum est: vel adultera potuit separare a familia absque dispendio famae, aut vitae, & absque periculo rixarum, odiorum, & similibus; vel non potuit. Si primum, & nihil omiserit adulter, ut impediret suppositionem, sola adultera tenetur de damno, quia ipsa sola est causa damni. Nec refert, quod adulter posuerit causam, & quod qui est causa causa est causa causati; id enim verum est tantum, quando effectus non potest impediri, aut stat per eum, qui posuit causam, ut impediatur: hic autem effectus potest impediri, & non stat per adulterum, ut impediatur, sed per solam voluntatem adulterae. Si secundum, tenetur adulter, ut adultera juxta explicationem conclusionis; quia est illorum causa, non solum mediata, in quantum adulterando vidit, aut videre debuit & potuit, quod si mulier non posset absque dictis dispendiis & periculis, ut ordinariè contingit, prolem separare, cogere tur supponere; sed etiam causa reque immediata ac adultera ipsa; etenim adultera non est causa immediata illius suppositionis, & damnorum, nisi quia prolem natam inter portet domesticos permittit esse in familia mariti, ex quo decipiuntur & maritus, & alii putantes esse legitimam: neque enim ad hoc accessit est, quod mulier

lier dicat esse legitimam, nec id dici solet; atqui eodem prorsus modo, imò magis adulter concurrat ad suppositionem; quia cum ipse sit verus Pater prolis, cui maxime incumbit ejus cura, hoc ipso quo ipsam relinquit in domo patris putativi, a quo videt pro legitima haberi & educari, non minus quam mater est causa hujus deceptionis & damnorum sequentium: ergo.

Petes 1. Utrum tam adulter, quam adultera teneantur restituere filiis legitimis pro his bonis, quae ipsis non debebantur, & illegitimis conferuntur: v. gr. consanguinei, aut amici Patris putativi filium illegitimum, quem legitimum putant, institunt heredem, vel ei liberaliter aliquid legant, aut donant, sumptus ad studia, nuptias, &c. conferunt; quae non legassent, aut donassent, imò dedissent nilo aliter legitimo, si deceptio abfuisset? R. Affirmat Molina; negat Delugo apud Sporer, quia haec damna non sequuntur per se filiis legitimis ex adulterio, vel suppositione, sed per accidens, cum isti ad eas liberales donationes non habent jus. Si tamen illegitimus se talem agnosceret, teneretur restituere ratione rei acceptae.

Petes 2. Quantum, & quibus restituet adulter, qui paratus est restituere nunc, antequam Pater putativus sit mortuus? Si enim restituit Patri putativo, forte iste morietur ante prolem spuriam, & ita haec habebit partem non solum hereditatis, sed etiam restitutionis. Si restituit filiis legitimis, forte proles illegitima morietur ante Patrem putativum, sique haeres legitimus nullum damnum in hereditate passi habebunt plusquam debent habere. R. Adulter debet in primis inquirere, quid hic usque Pater putativus expenderit in alimentacione & educatione prolis illegitimae, aut etiam donatione, si forte jam statum assumpserit, & haec determinata damna illi Patri putativo resarcire. Quantum ad ea verò, quae proles legitima poterit pati, si proles illegitima supervivat Patri putativo, debet concipere firmum propositum, & res disponere, ut restituit suo tempore, cui oportuerit id, quod proles illegitima de bonis Patris putativi acquisierit. Sed quid, si forte adulter sit morti proximus, nec possit differri restitutio? R. non tenetur restituere totum damnum, quod pateretur legitimi, si filius illegitimus jam accepisset partem illi hereditatis, quia forte non accipiet, si nempe moriatur ante Patrem putativum, sed proportionale ad dubium, secundum iudicium viri prudentis. Ita Nav. & Soto, quos citat & sequitur Pontas v. Restit. c. 157. & 158.

Petes 3. Si adulter dubitet, an proles sit ex suo adulterio, teneaturne aliquid restituere? R. teneri pro rata dubii. Vide, quae dixi de hac re supra de restitutione in genere Art. 11. §. 6.

Petes 4. Quomodo restituet adultera? R. 1. Si habeat bona paraphernalia, aut alia suae liberæ dispositioni relicta, debet illa & marito & filiis legitimis dare usque ad damni compensationem. Si hii careat, aut non sufficiant, debet diligentius familiam administrare, insolita industria vel labore majorem utilitatem ipsi procurare, parcere sumptibus in his, quae ipsi conceduntur ad cultum corporis, ad recreationes, donationes, &c. Si neque his, aut similibus modis possit damnum compensare, debet persuadere proli illegitimae statum Religionis, vel Ecclesiasticum, hereditate abdicata, si tamen idoneus sit, & in eo appareant signa vocationis divinae; aut conari, ut addeat artem, vel officium obtineat, quo vel qua independentè a bonis familiae decenter vivere queat.

Si tandem his omnibus modis satisfacere nequeat, questio est: utrum teneatur revelare crimen suum marito, vel spurio? R. regulariter non teneri. Ita communiter. Prob. 1. ex Jure. C. Officiis 9. de Paenit. & Remiss. Innoc. III. consultus, an absolvenda esset mulier, quae fingendo partum prolem alienam supponerat, ne mariti bona ad extraneos devolverentur, & crimen istud marito detegere metueret, respondet sic: *Sicut mulieri, quae ignorante marito, de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est penitentia deneganda, ita nec illi debet penitentia denegari. Sed compensatio satisfactio pro discretum Sacerdotem ei debet coniungi.* Si autem teneatur revelare crimen suum, foret illi deneganda absolutio: ergo.

Prob. 2. ex hoc principio communiter recepto. Bona inferioris ordinis regulariter non sunt restituenda cum dispendio bonorum superioris ordinis; atqui hic erit dispendium bonorum superioris ordinis, ut minimum famae adulterae: ergo.

Instauratur magis haec ratio: Si revelet marito, 1. incurrit periculum, non solum infamiae propriae, ut dixi, sed & prolis, mariti, & totius familiae; non enim absque his inconvenientibus poterit maritus prolem illegitimam, quae hic usque legitima habita est, prodere, &

in foro externo exheredare. 2. Incurrit periculum divortii, odii perpetui ex parte mariti & omnium consanguineorum, imò mortis propriae & adulteri. Nemo autem tenetur cum tantis dispendiis restituere bona fortunae. Unde, si non fiat restitutio in casu, filii legitimi non debent censeri rationabiliter invitati. Si verò revelet proli spuriae, haec vel credet matri, vel non credet: si non credat, ut probabilis accidit (& forte credere non tenetur, de quo modo) inutilis erit revelatio. Si credat, non tenebitur cum suo & familiae dedecore hereditatem dimittere ut spurius: neque praesumentum est, quod sub alio praetextu dimitteret; rari enim admodum sunt ita perfecti & probi, ut propter solam Justitiam in foro conscientiae servandam dimittant hereditatem, quam in foro externo tuto servare possunt; sique iterum erit inutilis revelatio: ergo.

Nec est probandum, quod fecit mulier Avenionensis, ut narrat Alciatus, quae morti proxima, convocatis omnibus filiis declaravit unum ex illis esse illegitimum, petens, an vellet nominari, vel innotuiturum cum ceteri hereditatem inire: qui omnes sibi mutuo condonarunt, quia quisque sibi timebat. Hic, inquam, modus non est probandus. 1. Quia ista condonatio, seu renuntiatio non est plene voluntaria, cum fiat ex gravi & injusto metu. 2. Quia plerumque sunt Minorenes, quorum renuntiatio est nulla. 3. Quia proli legitime suspitionem illegitimitatis ingreditur: potest enim faciliè contingere, quod proles legitima, ob certa vultus lineamenta aliave indicia, pro spuria ab aliis habeatur.

Dixi: *Regulariter non teneri.* Quia quidam casus excipiuntur: 1. Si periclitetur tantum fama adulterae, quae jam aliunde est laefacta, & verisimile sit, quod revelando crimen suum impedirentur damna, tenetur revelare; quia tunc leve damnum ex revelatione pateretur. 2. Tenetur, si certo moraliter iudicet filium spurium ipsi fidem adhibiturum, & hereditatem dimissurum (quod raro praesumitur potest.) Quia, licet fama physice loquendo sit bonum superioris ordinis, moraliter tamen loquendo, difamatio nocens apud unum tantum & hunc filium non videtur praeponderare gravissime innocentium defraudationi in bonis fortunae. 3. Tenetur, si periclitetur bonum totius Regni, vel Ecclesiae: v. gr. si spurius pro legitimo habitus debeat succedere Regno, & is sit vel haereticus, vel pessimi moribus imbutus, ex quo Regni, vel Ecclesiae perniciis imminet: tunc, inquam, tenetur adultera crimen suum revelare etiam cum periculo vitae, si spes sit, quod per revelationem impediatur haec gravissima mala, utpotè quae praeponderant difamationi & morti unius privatae personae.

Petes tandem, utrum proles teneatur credere matri, asserenti, eam esse illegitimam? R. Sententia satis communis, quam tenent cum Canonistis Lessius, Sylvius, Layman, & alii, docet, quod non tenetur credere, nisi adultera assertum suum probet manifestis argumentis, ut quod tempore conceptionis maritus abfuerit, quod sit impotens, &c. Quia nemo tenetur credere unius testimonio in sui praedjudicium, maxime si ille testis allegat turpitudinem suam; & sic servatur in foro externo, cui quantum ad hoc potest se conformare privatus in foro interiori. Adde, quod mulierum genium sit alios amore, alios odio prosequi. Alii tamen respondent, equidem non adhiberi fidem secundum Jura alleganti turpitudinem suam in praedjudicium alterius; quia praesumitur, quod vel ex odio, vel ex amore loquatur; cessante autem hac praesumptione, nihil vetare, quin ipsi fides adhibeatur in foro conscientiae. Unde inferunt, quod, si mater sit recte conscientiae & probatae fidei, remque sub juramento affirmet, praesertim in articulo mortis, Spurium teneatur illi credere; & hoc est verè probabile.

DIGRESSIO PRIMA HISTORICA.

Utrum Moyses licitè occiderit Aegyptium Hebraeo inuultantem.

Ad Articulum II. Praecedentis Dissertationis.

Cum videret Moyses virum Aegyptium percipientem quemdam de Hebraeis fratribus suis, ipsum Aegyptium percussum sabulo abscondit. Exod. 2. Quae, utrum id licitè fecerit Moyses. Dico: Moyses licitè hunc Aegyptium occidit. Prob. Moyses hunc Aegyptium occidit, vel ex instinctu Divino, ut innotuit S. Stephanus act. 7. vel in injustam defensionem fratris sui, ut docet Ambrosius l. 1. de Officiis c. 36. & hoc totum complectitur S. Thomas q. 60. art. 6. ad 2. his verbis: *Moyseis videtur Aegyptium*

Ægyptium occidisse quasi ex inspiratione Divina auctoritatem adeptus, ut videtur per hoc, quod dicitur act. 7. quod percussio Ægyptio æstimabat Moyses intelligere fratres suos, quoniam dominus per manum ipsius daret salutem Israël. Vel potest dici, quod Moyses occidit Ægyptium defendendo eum, qui injuriam patiebatur cum moderamine inculpata tutele. Unde Ambr. l. 1. de Officiis c. 36. ait, quod qui non repellit injuriam a socio, cum potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit: Et inducit exemplum Moysis: ergo.

Dices 1. Moyses antequam hoc facinus patraret, circumspexit hæc & illuc, num a nemine videretur, & cum accepit esse vulgatum, fugit in terram Madian, ut narratur loco citato Exod.; atqui hæc sunt indicia sceleris patrati: ergo. R. N. Min. Prudenter enim cavet Moyses, ne occisio Ægyptii, etsi justa, vulgaretur, ne Pharaos & Ægyptii magis adhuc sævirent in Hebræos. Vulgato autem facinore fugit, ut periculum mortis sibi imminens vitaret, *Audivit enim Pharaos sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen, ut dicitur ibidem.*

Dices 2. S. Aug. l. 22. contr. Faustum c. 70. docet, hanc Ægyptii cædem, a Moysese perpetratam, fuisse injustam, eod quod Moyses nullam tunc haberet auctoritatem sive in Ægyptio, sive in Hebræos: ergo. R. S. Aug. deposita hac sententia, descendisse in hanc, quam defendimus q. 2. in Exodum; ubi cum retulisset, quod dixerat loc. cit. contra Faustum, subdit: *Tamen, sicut Stephanus dicit in actibus Apost. putabat intelligere fratres suos, quod per eum Deus daret illis salutem: ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus (quod Scriptura eo loco tacet) hoc aude potuisse.*

DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA.

De Penitentia, & morte Samsonis.

Ad Articulum III. Dissertationis Præcedentis.

Primum crimen Samsonis indicatur Jud. 16. v. 1. his verbis: *Abitit quoque (Samson) in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam.* Quæ ultima verba, cum in scripturis significari res uxoria vel meretricia, sufficienter exprimentur crimen Samsonis cum illo scorto Gazaco. Alterum Samsonis crimen fuit amor meretricis Dalile, de quo Judicum 16. cit. *Post hæc amavit mulierem, que habitabat in valle Soret, & vocabatur Dalila.* Equidem S. Chrysost. & S. Ephrem existimant, Dalilam fuisse uxorem Samsonis; sed fuisse meretricem conformius Historie sacræ testantur Josephus, S. Hieron. & Ambrosius, & alii. Hujus Dalilæ fraudibus deceptus Samson captus est, & excecatur a Philistæis, ductusque Gazam in Templum Dagonis, ut coram eis luderet, concussis Templi columnis se suosque hostes corruente Templo obruit. Quæstio est itaque, an Samson impenitens & suicidii reus occubuerit?

Dico: Samson, nec impenitens, nec suicidii reus occubuit. Prob. ex Apost. ad Hebræos 11. ubi Samsonem inter Sanctos recenset his verbis: *Deficit me tempus enarrantem de Gedon, Barac, Samson, Jephthe, David, Samuel & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones:* ergo. Adstipulantur SS. Patres, S. Epiphanius Hæresi 30. S. Paulinus Epist. 23. S. Ambrosius Epist. 24. & alii.

Dices 1. Samson seipsum cum hostibus occidit: ergo. Quidam excusant Samsonem ex eo, quod mortem suam non intenderet, sed hostium dumtaxat gentis suæ, cujus erat Judex, interfectionem, se salvo, si potuisset. Verum huic solutioni obstare videntur hæc ejus verba in procinctu subversionis Templi: *Moriatur anima mea cum Philistæis* Judic. loc. cit. Unde R. cum Aug. l. 1. de Civit. c. 21. Samsonem id fecisse ex instinctu Spiritus S. Idque indicat Scriptura loc. cit. *At ille, inquit, invocato Domino, ait: Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscer me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas, &c.*

Inst. Samson intendebat vindictam, ut innotuit verba laudata: ergo. R. D. Ant. Intendebat vindictam ut homo privatus N. ut homo publicus C. Erat enim Samson Judex in Israël, injuriaque sibi illata non tam erat priva-

ta, quam publica, & in totum populum redundans.

Dices 2. Juxta relationes S. Mechthildis incerta est sors Samsonis, Salomonis, & Origenis: ergo. R. Revelationes privatas, præsertim S. Scripturæ contrarias, quales sunt istæ, nullius esse ponderis. Insupèr hæc revelationes continent alia absurda, & S. Mechthildis falsò esse adscriptas, probat Baronius ad ann. 604.

DIGRESSIO TERTIA HISTORICA.

De Eviratione Origenis.

Utrum fuerit Canonicum Ordinationis impedimentum?

Ad Art. IX. & X. Dissert. Præced.

Origenes, dum Alexandrinam Scholam regeret, & non solum viri, sed & mulieres forma elegantes ad eum confluerent, castitati suæ timens, seipsum eunuchum fecit, non abscisione, sed adhibito pharmaco ad exciscendam libidinem, unde eviratio secuta est. Hoc facinus primum demiratus Demetrius Alexandrinus Episcopus, postea improbat, & ordinationem Origenis factam a Theoctisto Cæsare Episcopo, & Alexandro Hierosolymorum, ea de causa impugnavit: jure vel injuria? Quæritur. Pro quo Dico: Eviratio Origenis non fuit canonicum illius ordinationis impedimentum, illamque ea de causa injuria impugnavit Alexandrinus Episcopus. Est contra Baronium.

Prob. 1. Temporibus Origenis eviratio nondum erat canonicum sacræ Ordinationis impedimentum: ergo. Prob. Ant. Eviratio inter canonica sacræ Ordinationis impedimenta primum recepta recensita est a Concilio Nicæno Can. 1. ubi sic legitur: *Si quis seipsum sanus abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, deinceps nullum talium promoveri.* Hoc autem Concilium celebratum fuit ann. 325. & obiit Origenes ann. 254. ergo. Prob. Ant. Tum quia antè Concilium Nicænum nullibi legitur Lex removens eunuchos a sacræ Ordinationibus; tum quia laudatus Canon Nicænus dicit: *Deinceps nullum talium esse promovendum:* ergo antea promovēbantur.

Perperam objicit Baronius Canonem 22. Apostolorum. Constat enim, Canones, qui dicunt Apostolorum, Origenis ævo nondum in Ecclesia vim Legis habuisse, imò nec notos fuisse, de quo vide Natal. Alex. sec. 1. Dissert. 18. Cabassut. Not. Eccles. sec. primi. Digressionem 1. ad art. 1. Dist. 1. de Jure. Unde Meitonem Sardensem Episcopum laudat Poly crates Ephesiorum Episcopus, ut *Eunuchum Spiritu S. afflatum apud Eusebio l. 6. c. 8. & S. Hieron. in Catalogo c. 65. qui testatur, Demetrium primo admiratum fuisse factum Origenis, sed postea invidia motum propter celebrem Origenis famam, mutato animo, ejus Ordinationem injuriosè apud omnes orbis Episcopos impugnavit cepisse.* Et S. Hieronymus c. 73. ejusdem libri loquens de Alexandro Hierosolymitano, qui Origenem ordinarat, testatur ipsum scripsisse ad Origenem, & pro Origenis contra Demetrium, eod quod juxta testimonium Demetrii cum Presbyterum constituerat. Fuit autem Alexander vir sanctissimus, divina revelatione inauguratus Episcopus Hierosolymitanus.

Objicit insupèr Baronius exemplum Leonii Ariani Episcopi, qui Sacerdotio privatus est, eod quod semetipsum evirasset, ut scribit S. Athanasius Epist. ad Solit. Item testimonium Photii in Biblioth. cod. 18. scribentis, Origenem secus quam oporteret fuisse ordinatum: ergo. R. ad 1. N. Conseq. Quia Leonius id attentavit post & contra Canonem Nicænum; absque Origenes. Adde, quod Leonius id egerat, ut seque pudoris & famæ periculo, mulierculæ, quam deperibat, frueretur amplexibus, ut refert Athanasius loc. cit. Ad 2. testimonio Photii, qui multis sæculis posterior scripsit, opposimus testimonia Eusebii, SS. Alexandri & Hieronymi.

Inst. Lege Moysis Deut. 23. cautum erat, ne eunuchus intraret Ecclesiam Domini: ergo. R. Id fuisse Legis veteris præceptum, non morale, sed cærimoniale adeoque nova Lege abrogatum; sicut & aliud ibidem, quo prohibetur de Scortis natus intrare Ecclesiam Domini.

DISSERTATIO XI.
DE FURTO ET RAPINA.

D. Thom. Quæst. 62.

Postquam diximus de peccatis Justitiæ oppositis per quæ inferitur nocuum proximo in persona, considerandum est de peccatis Justitiæ oppositis, per quæ inferitur nocuum proximo in rebus exterioribus, scilicet de furto & rapina (Q. 66. in Proam.) Antè omnia suppono (Ib. a. 1. & a. 2.) hominem esse capax domini, eumque, posita rerum divisione, licite re exteriorum possidere, de quo vide, quæ dixi diss. 3. de subjecto & objecto domini art. 1. & 2. & diss. 4. de modis acquirendi dominium art. 1.

ARTICULUS I.

Quid sit Furtum? quid Rapina? quomodo differant?

Furtum, juxta Isidorum l. x. Etymol. c. 6. (Ibid. a. 3. in arg. s. c.) dicitur a Furro, id est, atro, seu fusco, quia plerumque fit in tenebris. Furtum dupliciter accipitur: 1. generaliter pro omni injusta acceptione rei alienæ, sive sit occulta, sive manifesta; sive sit rei proprie possessæ, sive improprie. Et sic comprehendit, non solum furtum proprie sumptum, sed rapinam, plagiatum, imò omnem injustam damnificationem; quia acceptio ponitur latè pro omni injusta rei alienæ confectione. Sumitur 2. Furtum strictè & proprie. Pro quo

Dico 1. (Ib. a.) Furtum strictè & simpliciter dictum, Est occulta rei alienæ acceptio: plures addunt, Domino rationabiliter invito. Explicatur: (Ibid. ad 2.) dicitur *Acceptio*, sub qua intelligitur detentio, quia detinere id, quod alteri debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione iniusta: & qui detinet rem alienam, dum potest & debet reddere, censetur moraliter accipere; & ideo furtum committit, qui non restituit, cum possit & debent, mutuum, commodatum, depositum, &c. Et hæc particula *Acceptio* tenet locum generis; quia per eam furtum simplex convenit cum rapina, plagiatu, & cum omnibus aliis acceptionibus rei alienæ, quæ non sunt furta. Dicitur 2. *Acceptio occulta*, nimirum respectu domini, aut illorum, quibus custodia demandata est, idque ex intentione furantis; quare, si rem accipiat presentibus aliis, aut etiam forte præsentem domino, sed præter ejus cognitionem, est simplex furtum, & per hoc distinguitur a rapina, ut modo fustius dicam. Dicitur 3. *Rei alienæ*, (Ib.) id est, rei, quæ sit alterius vera & propria possessio, sive interm sit illius proprietarius, sive usufructuarius tantum, custos, aut depositarius. Unde, qui accipiat, quod est alterius non est ejus possessio, sed vel ut pars, ut si membrum amputaret, vel ut persona conjuncta, ut si auferat filiam vel uxorem, non haberet proprie rationem furti, sed vel mutilationis, vel raptus, aut adulterii, si auferat ad carnaliter fruendum; vel plagiatu, si ad vendendum, aut possidendum; quod ultimum tamè reducit ad furtum: imò foret proprie furtum, si persona ablata foret serva, quia est proprie possessio domini. E contra verò furtum committere (Ib. ad 3. & a. 5. ad 3.) saltè secundum quid, qui non propriam apud alterum depositam, aut alteri commodatam, locatam &c. furtim accipere, quia, licet id, quod accipit, sit simpliciter suum, est tamè secundum quid alterius, scilicet quantum ad usum, aut custodiam; sicque furtim accipiendo gravat depositarium, aut commodatarium, qui privatur usu rei, vel qui tenetur ad restituendum, aut ad ostendendum se esse innocuum, unde peccat, & tenetur ad relevandum gravamen depositarii, vel commodatarii. Si verò rem suam injustè detentam, (Ib.) puta a fure, accipiat, ipsum quidem non gravat: cum iste non possit retinere, & ideo non tenetur illi quicquam restituere: peccat tamè contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat rei suæ jurisdictionem Juris ordini prætermisso, & ideo tenetur Deo satisfacere, & sedare scandalum, si inde ortum sit. Verum, secluso scandalo, non videtur ex hac parte grave peccatum, maxime cum usum receptum sit, inquit Sylvius, ut unusquisque rem suam, ubi eam invenit, accipiat, modo certus sit esse suam, & inde non sequatur scandalum; quod a tortiori verum est, ubi rem suam recuperandi non patet via

Juris; de quo latius infra, dum de compensationibus.

Additur: *Invito domino*: & hoc majoris explicationis ergo, siquidem sub *ly occulta* comprehendatur: ideo enim fur occultè accipit, quia est res aliena, & is, ad quem pertinet, non vult eam accipi. Additur itè: *Rationabiliter invito*; quia quantumvis sit invitus, si tamen sit irrationabiliter invitus, non fit ei injuria in ablatione rei, ideoque furtum non committitur: unde non est fur, qui à sæviente in hostem quantumvis invito auferit gladium, à blasphemante chartas, à se inebriante potum; neque furatur mulier, quæ à marito surripit pecunias in familiaris necessitates, aut in eleemosynas suo statui consentaneas; neque, qui rem alterius in extrema necessitate accipit: quia in his omnibus dominus est irrationabiliter invitus: sic etiam non furati sunt Israëlites, qui ab Ægyptiis invitis vasa tulerunt, mandante Deo.

Ultra furtum simplex, de quo hæc usquè, sunt quedam furta qualificata, quorum malitia augetur ex aliqua circumstantia: ab aliis vocantur species furti: & sunt *Sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ, vel prophæ in loco sacro, de quo in materia de religione. *Peculatus*, quo quis ex bonis publicis aliquid surripit, aut in suos usus privatos convertit. *Plagiatu*, quo quis hominem sive liberum abducit in servitutem. *Abigatus*, quo quis furatur pecora in pasuis; ad quem reducitur furtum instrumentorum necessariorum ad culturam agrorum. In hoc crimen severius animadvertit Respublica; quia, cum hæc necesse sit sæpè relinquere in pasuis, vel in agris, horum furta non possunt nisi severiori poena cohiberi. Idem dic de furtis domesticis. Quidam addunt rapinam. Verum rapina non est furtum simpliciter qualificatum; nec potest dici species furti strictè sumpti, sed est species ab ipso condistincta. Unde

Dico 2. Furtum simplex & rapina sunt peccata specie distincta (Ib. n. 4.) Prob. (Ib. a.) Furtum & rapina ex hoc habent rationem peccati, quod sint rei alienæ acceptiones, involuntariæ ex parte illius, cui res subtrahitur; atqui diversa est ratio involuntarii in furto & rapina: ergo. Prob. Min. In furto est involuntarium negativè tantum & per ignoraniam, quatenus dominus non consentit; in rapina verò est involuntarium positivè & per violentiam, quatenus dominus positivè resistit, aut si fortè ex metu auferentis positivè resistere non audeat, saltè positivè dissentit: ergo.

Dices: Furtum & rapina differunt secundum occultum & manifestum; atqui in aliis generibus peccatorum occultum & manifestum non diversificant speciem: ergo. R. N. Cons. (Ib. ad 1.) Disparitas est, quod in aliis generibus peccatorum non attenditur ratio peccati ex aliquo involuntario sicut in peccatis injustitiæ, in quibus involuntarium ex parte illius, qui patitur injustitiam, ingreditur objectum specificum. Per se autem loquendo diversa est ratio involuntarii; dum ab aliquo res sua occultè auferatur, & diversa, dum manifestè, ut patet ex probat. conclusionis. In rapina igitur sit, ita dicam, duplex violentia, una metaphorica ipsi rei, quæ clamat ad dominum, altera propria ipsi domino. In furto autem prima tantum reperitur. Et ex his rectè definiti potest rapina, quod sit *injusta, seu violenta rei alienæ ablatio*.

Hinc inferes (Ib. a. 6. o. & ad 2.) raptos esse 1. viarum grassatores. 2. Principes, qui iniquis exactionibus populum opprimunt. 3. Qui operariorum mercedem defraudant, sive eam diutius detinendo, sive partem detrahendo, & illud peccatum dicitur in cælum clamare, Jacob. 5. 4. Dinastæ, qui bona communis, aut privatorum invadunt. 5. Fœneratores. 6. Qui, quæ legitime debent reddere, nolunt nisi interveniente lite, quo modo sæpè vexantur pauperes viduæ, & pupilli, qui prosequendæ liti sunt impares, & hoc est oppressio pauperum, quod etiam dicitur peccatum in cælum clamans. 7. Ex Catech. Rom. ad 7. Præceptum Decalogi raptoribus accensentur, qui decimas & vectigalia per potentiam, vel violentiam fraudant. 8. Judices, qui venialia habent iudicia. 9. Creditorum fraudatores, qui dolosè foro cedunt, aut solvere nolunt, cum possunt. 10. Qui miseros debi-